

MONITUM AD BENEVOLEM LECTOREM

Præsentēs lectiones Juris Canonici quas a pluribus annis in facultate theologia Universitatis Lavellensis tradidimus, in lucem edere statuimus. Non desunt compendia Juris Canonici in aliis regionibus scriptis mandata, sed scholis nostris insufficienter accomodantur, sive quia materiam canonicam prolixius exponunt, sive quia jus missionum et jus particulare omittunt. Multa tamen deprompsimus ex operibus Reverendissimi D. Leard : "Pælectiones Juris Canonici S. Sulpicii", D. Bargilliat : "Pælectiones Juris Canonici", et clarissimi Prof. G. Sebastianelli, in Universitate S. Apollinaris, ejus prælectionibus attendimus; imo ingenne fatemur quidquid in hoc opere refertur ex peritorum scientia fuisse depromptum.

Indulta generalia quæ episcopis hujus regionis Sacra Congregatio de Propaganda Fide solet largiri, decreta conciliorum provincialium, quasdam dispositiones juris civilis, quæ ad præsentem materiam spectant, retulimus; imo nobis opportunum visum est, ob affinitatem inter utramque Ecclesiam particularem, allegare plura tertii concilii plenarii Baltimorensis decreta, quæ, Romæ coram commissione S. R. E. Cardinalium redacta, luculenter innuunt mentem Ecclesiæ circa territoria Missionum.